

Leg. II. 11. Quod ex genere hominum consecratos, sicut Herculem et ceteros, coli lex jubet, indicat, omnium quidem animos immortales esse, sed fortium bonorumque divinos.

V. FRAGMENTA ETHICA.

Tusc. V. 25. Haec tractanti animo, et noctes et dies cogitanti, existit illa a deo Delphis praecepta cognitio, ut ipsa se mens agnoscat, conjunctamque cum divina mente se sentiat, ex quo insatiabili gaudio completur. Ipsa enim cogitatio de vi et natura deorum, studium incendit illius aeternitatis imitandae, neque se in brevitate vitae collocatam putat, quum rerum causas alias ex aliis aptas, et necessitate nexus videt: quibus ab aeterno tempore fluentibus in aeternum, ratio tamen mensque moderatur. Haec ille intuens atque suspiciens, vel potius omnes partes orasque circumspiciens, quanta rursus animi tranquillitate humana et ceteriora considerat! Hinc illa cognitio virtutis existit, efflorescunt genera partesque virtutum; invenitur, quid sit, quod natura spectet extremum in bonis, quod in malis ultimum, quo referenda sint officia, quae degendae aetatis ratio deligenda. Quibus et talibus rebus exquisitis, hoc vel maxime efficitur, ut virtus ad beate vivendum sit se ipsa contenta.

Off. I. 2. Quum multa sint in philosophia et gravia, et utilia, accurate copioseque a philosophis disputata: latissime patere videntur ea, quae de officiis tradita ab illis et praecepta sunt. Nulla enim vitae pars neque publicis, neque privatis, neque forensibus, neque domesticis in rebus, neque si tecum agas quid, neque si cum altero contrahas, vacare officio potest: in eoque colendo vita est vitae honestas omnis, et in negligendo turpitude. Atque haec quidem quaestio communis est omnium philosophorum. Quis est enim, qui nullis officii praeceptis tradendis philosophum se audeat dicere?